



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologia Scholastica

Mayr, Anton

MDCCXXXII

Art. II. Quænam objecta Angeli naturaliter cognoscere possint.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84303](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84303)

præsertim, si ascensus proportionaliter fiat: ergo.

65. Resp. neg. antec. quod non probatur; non enim species, saltem, quæ repræsentant objecta existentia (quidquid sit de possibilibus) dicuntur universales in hoc sensu, quod confusæ, & universaliter naturam repræsentent, sed quod singularia plura, in quibus, & ex quibus naturas específicas communes Angeli agnoscunt. Sufficit igitur, si unica species infimi Angeli repræsentet plura individua, v. g. ut Suarez ait, decem, vel viginti; superioris verò species repræsentet adhuc plura, sed non omnia existentia, aut exitura. Sic plurimi possunt aliis superiores esse, donec unus aliquis unica specie cognoscat omnia individua existentia, aut exitura, unius tantum naturæ specificæ. Dico, *existentia, aut exitura*; nam omnia tantum possibilia, cum ista sint infinita in quavis specie, non potest ullus Angelus cognoscere.

66. Angelus autem iterum perfectior poterit per unam speciem cognoscere naturam unam integram, & aliquot individua alterius naturæ; unde, cum Angelorum numerus sit finitus, nullus erit, qui omnes naturas materiales unica specie complectatur. Accedit, quod, in nostra sententia, respectivè pauci sint ordine specifico alii superiores; nam, vel sunt tantum tres classes, quot scilicet sunt Hierarchiæ, vel ad summum novem, quot sunt Chori Angelorum. Certè nullatenus omnes Angeli, sicut individualiter, ita etiam specie differunt: unde istud argumentum etiam ex hoc capite non habet vim. Ad 1. confir. Resp. hoc non sequi ex nostra assertione; nam nullus est defacto Angelus, qui per unam speciem cognoscat omnes materiales naturas. Quid autem de absoluta Dei potentia dicendum, non spectat ad hanc quæstionem, quæ agit de existentibus: & potest DEUS in infinitum perfectiores Angelos producere, quin unus omnes naturas materiales per unam speciem cognoscat; quia potest semper plura ex possibilibus cognoscere, quæ sunt syncategorematicè infinita. ita Granadus. In forma neg. ma. nam licet fors possibilis sit Angelus, qui unica specie cognoscat omnia individua existentia unius naturæ, tamen non est possibilis, qui cognoscat omnia possibilia: & sic, ut dictum, potest semper dari perfectior, seu universalior species, quin tamen una sit, quæ omnia prorsus repræsentet: consequenter nunquam sequitur, possibilem fore Angelum, qui sine specie omnia cognoscat. Ad 2. confir. neg. suppositum maj. ex dictis.

ARTICULUS II.

Quenam objecta Angeli naturaliter cognoscere possint.

67. Dico 1. Angelus naturaliter potest cognoscere DEUM, seipsum, alios Angelos existentes, imò omnes substantias naturales, materiales, & spirituales existentes, ita communiter Authores. Prob. Horum omnium cognitio ex communi auctoritate (quæ in hac materia debet esse potissima ratio) spectat ad perfectionem intelle-

ctus Angelici, humanum longè superantis: cumque Angelus sit ab omni materialitate exemptus, non est, quod eum impediatur ab eorum omnium cognitione, si applicare se velit; non enim dicimus, quod actu semper omnia cognoscat, sed tantum, quod possit. Accedit circa materialia, quod ista per motus cœlorum, & hominum custodiam, Angeli gubernent, adeoque cognoscant.

Non tamen cognoscunt hæc objecta eodem modo; nam DEUM naturaliter non cognoscunt, nisi abstractivè, & per creaturas; quia, ut dictum *tractatu de DEO n. 179.* visio intuitiva DEI nulli creaturæ potest esse naturalis. Reliqua autem objecta Angeli possunt cognoscere intuitivè, saltem existentia, vel præsentia: & quidditivè; quia de omnibus habent species proprias, & per has objecta conceptu proprio, prout in se sunt, cognoscunt, etiam Angelos superiores; quia etiam isti, utpote entia naturalia, atque finita, sunt objecta proportionata intellectui Angelico: quamvis fortè inferior non comprehendat superiorem, de quo fusè Suarez *de Angelis l. 2. c. 31. n. 10.*

68. Dico 2. Angeli possunt cognoscere præterita, & futura, præsentia, & distantia. Probatur. Ista cognoscunt etiam homines: ergo magis Angeli, qui habent species de his omnibus. Intellige autem futura necessaria, seu necessariam connexionem habentia cum causis naturalibus, quarum complexum, vim, & connexionem cum effectibus, Angeli comprehendunt; nam de futuris liberis infra agemus. Sic cognoscunt futuras eclipses solis, mutationes tempestatis &c. Hæc tamen futura, cum sint absolute à DEO impedibilia, cognoscunt naturaliter tantum certitudine physica: & quidem tunc tantum, si causæ non sint valde abstrusæ, & tempore non adeo longo concurrent; quod enim sciant Angeli, quot e. g. per annos mille concursuræ sint nubes, aut quot sint caluræ pluriæ, vel roris guttæ, negat Platellius. Quod autem objectum præteritum non amplius, & futurum nondum sit, non obest; quia influxus, præcisè intentionalis, non exigit præsentiam, vel existentiam causæ, ut patet in nostris cognitionibus: applicatio autem, ne scilicet dicatur dari actio in distans, fit per ipsam speciem intimè junctam potentia intellectivæ.

69. Dico 3. Angeli possunt cognoscere singularia, & universalia, plura confusè, vel etiam distinctè. Prob. Nos hæc omnia cognoscimus: ergo. Dein Angeli cognoscunt operationes alicujus certi hominis, e. g. sui clientis, gubernant singulos, loquuntur singularibus, movent singularia, hortantur ad singularia &c. ergo eadem cognoscunt. Ex eadem ratione cognoscunt multitudinem, seu plures ut plures, atque distinctè. Possunt etiam in quibusdam rebus facere universalia, præsertim in possibilibus; hæc enim, cum sint infinita, non possunt ab Angelis distinctè omnia cognosci; quia nulli creaturæ puræ concessum est, naturaliter infinita cognoscere: imò multi negant, talem cognitionem etiam Christo Domino supernaturaliter concedi potuisse. Possunt autem Angeli cognoscere singularia per species universales; si enim nos possumus uti speciebus nostris phantasticis, plura repræsen-

tantibus, ita, ut nos convertamus ad unicum tantum objectum ex pluribus representatis considerandum, etiam Angeli pro libitu suis speciebus ita uti poterunt: & qui hoc impugnant, ad summum probant, quod, dum voluntas liberè talem speciem universalem excitare vult, in ordine ad cognitionem tantum unius, debeat intellectus prius confusè cognoscere illius speciei universalitatem, seu quod plura representet.

70. Dico 4. Angeli naturaliter absque revelatione non cognoscunt evidenter supernaturalia quoad substantiam. ita S. Thomas 1. p. q. 57. a. 5. in corp. & communis. Prob. Ista transcendunt omnem ordinem naturæ: ergo intellectus naturaliter non se extendit ad ea evidenter cognoscenda. Confirm. Etiam species istorum objectorum sunt supernaturales: ergo non debentur intellectui creato: adeoque non habet Angelus potentiam completam ista cognoscendi. Dixi tamen evidenter; nam, prout ait Suarez de Angelis l. 2. c. 29. n. 23. potest dici sine inconvenientia, quod Angelus per probabilem conjecturam possit cognoscere aliquid supernaturaliter possibile, vel fortè etiam existens.

71. Dixi secundo supernaturalia quoad substantiam; quia entia in se naturalia, & tantum supernaturalia quoad modum, Angelus naturaliter potest cognoscere. Sic cognovit utique Lazarum, quamvis supernaturaliter resuscitatum. Ubi tamen addendum, Angelum in tali casu posse quidem cognoscere rem, sed non modum, si hic intrinsecè supernaturalis sit: si autem modus sit tantum supernaturalis in hoc sensu, quod superet vires causarum secundarum, non verò DEI, naturaliter operantis, tunc potest ab Angelo cognosci; quia talis modus est adhuc intrinsecè naturalis.

72. Sic ait Suarez de Angel. l. 2. c. 30. n. 6. & 7. quod, si conversio aquæ in vinum, in Cana Galilææ, facta sit per generationem vini, & corruptionem aquæ, mediis dispositionibus naturalibus, sufficientibus ad introductionem unius, & expulsionem alterius formæ, licet in momento factam, potuerit eam generationem Angelus naturaliter evidenter cognoscere; quia est naturali lumine cognoscibile, quod DEUS majori celebritate possit facere aliquid, quam creaturæ. An autem conversio illa ita facta fuerit, nescimus. Sic Eximius ibidem n. 18. docet, replicationem corporis circumscriptivam posse evidenter cognosci ab Angelo; quia utraque ubicatio, in eodem corpore recepta, intrinsecè naturalis est, quamvis à solo DEO simul poni possit, & sub ista ratione aliquo modo extrinsecè supernaturalis sit.

73. Si autem modus intrinsecè supernaturalis sit, ab Angelo, ut dictum, evidenter cognosci non potest, ex eadem ratione, ex qua non possunt cognosci alia entia supernaturalia: unde in tali casu Angelus cognoscet quidem rem existentem, sed de modo dubitabit. Talis modus ex S. Thoma, Thomistis, Suarez, & aliis, est modus existendi Christi in Eucharistia, seu ubicatio ponens Christum, totum in tota hostia, & totum in qualibet ejus parte, de qua resuscitatus Suarez disp. 48. de Eucharistia sec. 1. Quare, ut idem Eximius ait, Angelus naturaliter non videt Christum in Eucharistia, sed tantum in coelo. Si au-

tem Christus nullibi esset, nisi in Eucharistia, videret quidem eum, sed non videret ubi esset: quod non est absurdum in visione intellectualem (quidquid sit de corporali) nam sic sæpe videmus, hoc est, cognoscimus, rem esse, sed non, ubi sit. Pariter Angelus naturaliter videt Christum, sed non unionem hypostaticam.

74. Dico 5. Angeli naturaliter non possunt certò cognoscere futura strictè contingentia, hoc est, quæ ab agente libero mediatè, vel immediatè dependent. Conclusio est de fide, & sumitur ex Isaia 41. v. 23. ubi præscientia ista adducitur tanquam manifestum Deitatis indicium, adeoque soli DEO competens: *Annunciate, quæ ventura sunt in futurum, & sciemus, quia Dñi estis vos, & c. 46. v. 9. Ego sum DEUS, & non est ultra DEUS, nec est similis mei, annuncians ab exordio novissimum, & ab initio, quæ necdum facta sunt, dicens.* Ratio etiam est; quia non possunt Angeli cognoscere ista in se ipsis; hoc enim est tantum intellectus infiniti: neque in causis; quia ista non habent connexionem certam cum effectibus contingentibus. Possunt tamen Angeli talia futura sæpe cognoscere probabiliter in causis contingentibus quidem, sed ob varias circumstantias verosimiliter ad hoc, quam ad aliud se determinaturis, e. g. in hominis moribus, aliisque antecedentibus, consequentibus &c.

75. Dico 6. Angeli naturaliter non possunt cognoscere secreta cordium, seu actus liberos aliorum, etiam quando existunt, absque elicientium consensu. ita contra Scotistas (a quibus tamen dissentit Faber, & Pontius apud Mistrum in 2. disp. 2. q. 8. a. 1. num. 237.) communis simè alii: ipsi autem Scotistæ negant quidem, Angelos defacto secreta hæc cognoscere: at asserunt, quod cognoscere possent, si non impedirentur. Prob. conclusio. 3. Reg. 8. v. 12. dicitur: *Tu non visus cor omnium filiorum hominum.* Jerem. 17. v. 9. & 10. *Pravum est cor omnium, & inscrutabile, quis cognoscat illud? Ego Dominus scrutans cor, & probans renes:* in quem locum S. Hieron. ait: *Nullus cogitationum secreta cognoscit, nisi solus DEUS.* Ne autem dicas, S. Patrem tantum docere, neminem cognoscere, non autem, neminem posse cognoscere, post pauca addit: *Nullusque potest videre cogitationes eorum, nisi solus DEUS.* S. Ambrosius l. 5. in Luc. c. 5. v. 22. ait: *Dominus autem salvos volens facere peccatores, & occultorum cognitione DEUM se esse demonstrare, & admiratione factorum.* Licet autem textus hi, & similes, videantur loqui de secretis cordis humani, rectè tamen adducuntur etiam circa secreta Angelorum; nam par est ratio de utrisque.

76. Ratio autem est inprimis negativa; quia gratis tribuitur Angelis tanta intellectivitas, ut etiam secretos actus cordis, quæ tales, & in circumstantiis, in quibus eliciens eos vult celari, penetrare possint: itémque gratis dicitur, quod de actibus liberis habeant species; quia probari nullatenus potest, quod ipsis debeantur, aut cognitiones, aut species actuum liberorum, seu secretorum, independentes à volitione, vel concessione elicientis illos actus: sicut etiam probari non potest, quod Angelo pro omnibus circumstantiis debeat notitia omnium rerum quomodo docunque naturalium; quod enim debeat Angelus valde ampla scientia plurimarum, vel ferè omni-

omnium rerum naturalium, potissimum probatur auctoritate, quæ, cum longè communius neget cognitionem tam amplam, ut completatur etiam notitiam secretorum cordis, utique meriti negatur hæc Angelo debita esse.

77. *Confir. 1.* Naturæ intellectuali debetur dominium in actus suos liberos perfectum, & expeditum ab omni impedimento, non tantum physico, sed etiam morali: sed, si Angeli naturaliter cognoscerent secreta cordium, tale dominium non haberetur; nam utique foret impedimentum magnum, si actus illi, vel secreta, non possent celari; quia plures tunc non audent eos elicere: ergo. *Confirm. 2.* Regimen politicum, & commercium, quale etiam est inter Angelos, exigit, ut non omnia sint manifesta: ergo. *Confirm. 3.* Si demones naturaliter scirent omnia secreta cordis humani, possent plurimum nocere hominibus: ergo debent ista illis esse occulta; alias hominum conditio esset miserabilis.

Responderi quidem potest, DEUM in demonibus hanc notitiam impedire. Sed hoc non satis convenienter dicitur; nam sic deberet DEUS facere quasi continuè miracula, impediendo causam secundam à suo effectu. Equidem non est dubium, quòd DEUS demones sæpe impediatur ab effectibus, alias naturaliter ipsis possibilibus. Verum in illis casibus positivè probatur gravibus rationibus, quòd effectus illi possent alias à demonibus produci: at in nostro casu multiplicare miracula sine necessitate. Neque tantum JS inferret demonibus quancunque violentiam, qualem infert aqua, eam calefaciendo, sed faceret miraculum tantum, quod, si ignem, ritè applicatum materiam combustibili, non sineret urere; quia id faceret ad nullius creaturæ exigentiam naturalem. Quare convenientius dicitur, demonibus naturaliter eam notitiam non esse debitam.

78. Addendum, non posse naturaliter ab Angelis cognosci etiam illa, ex quorum cognitione veniretur in notitiam actuum liberorum, ut patet consideranti: Hinc naturaliter non possunt cognoscere species, vel habitus, ex actibus iis relictos: neque actus intellectus, etsi non sint immediate liberi; tum quia horum occultatio est maximè necessaria ad celandos actus liberos: tum quia, ut ait Suarez de Angelis l. 2. c. 25. n. 9. sunt quasi pars ipsius usus libertatis, & radix, ac regula, atque mensura ipsius: neque tantum sunt quomodocunque imperati à libertate, sicut actus exteriores, ambulatio, scriptio &c. quæ utique naturaliter ab Angelis cognoscuntur.

79. Sanè etiam actus intellectus veniunt nomine secretorum cordis; cum in Scripturis cor etiam intellectum significet. Ad Rom. 10. v. 10. Corde enim creditur ad justitiam. 3. Reg. 3. v. 10. Dabis ergo servo tuo cor docile, ut populum tuum judicare possit &c. Item Christo tanquam signum Divinitatis ipsius in Evangelio tribuitur notitia cogitationum: quæ tanquam prærogativa soli DEO debita affertur ad Hebr. 4. v. 12. Discrator cogitationum, & intentionum cordis. Hinc etiam S. Augustinus in illud psalmi 7. v. 10. Scrutans corda, & renes DEUS: ait: Videns omnium cogitationes, quæ nomine cordis significatæ

sunt, & delectationes, quæ nomine renum intelliguntur.

80. Quæres 1. An Angeli etiam habeant cognitiones discursivas. Resp. posse eos discurrere circa ea, quæ non cognoscunt intuitivè, & evidenter. Sic ex miraculis Christi per discursum potuerunt inferre Divinitatem Christi: circa illa verò, quæ intuitivè, & evidenter cognoscunt, non videntur discurrere, sed ea simplici intuitu comprehendere; quia hic modus cognoscendi simplicior, & perfectior, videtur eis congruentior: unde non ex aliis; sed in aliis ista cognoscunt: quæ sunt explicata tract. de DEO n. 320.

Quæres 2. An Angeli cognoscant componendo, hoc est, prius conferendo subjectum apprehensum cum prædicato apprehenso, & dein quasi componendo utramque apprehensionem in unum judicium affirmativum, vel quasi distinguendo in negativum (dico quasi: quia actus iudicii realiter indivisibilis, etiam in homine, non est realiter compositus) Resp. Angelos ea, quæ per discursum, vel obscurè, cognoscunt, posse componendo cognoscere; quia ab his non statim determinantur ad assensum simplicem: at verò ab iis, quæ intuitivè comprehendunt, statim determinantur ad assensum simplicem sine suspensione iudicii, aut compositione.

ARTICULUS III.

Solvuntur Objectiones.

81. *Ob. 1.* contra 2. conclus. Ex historiis habetur, demones ignorare, quid agant homines, & Luciferum ab aliis demonibus certiorè reddi: ergo Angeli non possunt naturaliter omnia cognoscere. *Confirm. Jobi 1. v. 7.* dicit Satan: Circuvi terram; & perambulavi eam: atqui hoc fecit, ut omnia exploraret, & species acquireret: ergo non habuit omnibus species, vi quarum omnia potuisset cognoscere: & idem dicendum de aliis Angelis. Resp. dist. conf. Angeli non possunt omnia cognoscere, si nolint se applicare, vel uti speciebus suis. conc. conseq. secus. neg. conseq. Non semper utuntur Angeli omnibus speciebus: imò fortè neque possunt simul omnibus uti; quia juxta plures auctores excedit perfectionem Angeli simul omnia coëxistentia cognoscere. Sed & DEUS demones sæpe impedit, ne omnia scire, & magis inde nocere possint. Ad confir. neg. mi. non enim hac, sed alia de causa, id fecit, scilicet, ut ipse ageret, tentaret &c. cum in distans, aut nimiam distantiam agere nequeat. Accedit, quòd Scriptura in similibus locutionibus sæpe res proponat, quasi fieri, aut factæ essent humano modo: sic Genes. 1. v. 1. dicitur: Descendit autem Dominus, ut videret civitatem, & turrim. item Genes. 18. v. 21. dicit DEUS: Descendam, & videbo, utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint.

82. *Ob. 2.* contra 4. conclus. Angelus evidenter cognoscit, DEUM esse omnipotentem: ergo cognoscit evidenter, ipsum posse facere, quicquid non implicat: sed est evidens, quòd supernaturalis non implicent: ergo. *Confirm.* Angelus evidenter cognoscit, DEUM posse plus